



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis & Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

**Melanchthon, Philipp**

**Vuitebergæ, 1544**

**VD16 E 4532**

Dominica XX Post Trinitatis, Evang. Matthæi 22.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35272**

POST TRINITATIS. 99

manet infirmitas carnis, uult eam Deus mortificari, ut in illis exercitijs exerceatur & luceat fides, Item, ut Deus ostendat suam gloriam in nostra infirmitate aduersus Diabolum, quem uincit per infirmos, iuxta illud, Scitote, quod mirificat Deus sanctum suum. Id est, mirabiliter liberat, ostendens gloriam suam in nostra infirmitate, cum desertos, abiectos, præter omnia humana consilia, præter omnium opinionem seruat.

DOMINICA XX POST TRINITATIS. EVANG.  
MATTHÆI 22.

**E**T respondens Ihesus, dixit iterum in parabolis eis, dicens. Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos, ut uocarent inuitatos ad nuptias, & nolabant uenire. Iterum misit alios seruos dicens, Dicite inuitatis, ecce prandium meum parauit, tauri mei & altilia mactata sunt, & omnia parata, uenite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt,  
m                      alius

## DOMINICA VIGESIMA

alius quidem in proprium agrum, alius uero ad negociationem suam, reliqui uero tenuerunt seruos eius, & contumelios affectos occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.

Tunc ait seruis suis, Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus uiarum, & quoscunq; inueneritis, uocate ad nuptias. Et egressi serui in uias, congregauerunt omnes, quos inuenerunt, malos & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentibus. Intrauit autem Rex, ut spectaret discumbentes, et uidit illic hominem, non uestitum ueste nuptiali, Et ait illi, Amice, quomodo huc intraisti, non habens uestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex ministris, Ligate ei pedes et manus, et mittite eum in tenebras exteriores. ibi erit ploratus & stridor dentium, Multi enim sunt uocati, pauci autem electi.

Tota

## POST TRINITATIS. 100

**T**OTA parabola est imago Ecclesie omnium temporum, Et quanquam hic precipue loquitur de reiectione & poena Iudaice gentis, tamen ad omnium temporum similes euentus hæc concio accommodanda est. Vocauit Deus initio Ecclesiam, sed plerique uocationem contempserunt, multi etiam interfecerunt uocantes, ideo sunt secute poene, ut, diluuium, euersio Sodomorum, Aegypti, Canancorum, postea regni Israel, deinde Iudeorum, postea Romanorum, & aliorum regnorum. Aliqui tamen uocati conuenerunt, & semper aliqua fuit Ecclesia. Discamus ergo hic, quid & qualis sit Ecclesia, quæ species, quæ poena hostium Ecclesie, & malorum in Ecclesia.

### DE SECVNDO.

**Q**UID est Ecclesia? Est congregatio omnium qui credunt Euangelio, & sanctificantur Spiritu sancto, cui congregationi tamen multi mali admixti sunt, consentientes de doctrina, & usu sacramentorum, qui & ipsi sunt socij seu membra externæ societatis & administrationis Ecclesie.

Qualis autem sit species, huius coetus, m 2 significatur

## DOMICA VIGESIMA

significatur hic, cum ait maximam partem hominum aspernari ipsam uocationem. Alij, inquit, anteferunt suos agros, alij sua negocia, alij occidunt uocantes, id est, extra Ecclesiam sunt omnes, qui non amplectuntur doctrinam ueram, ut Ethnici, Iudaei, Mahometistae, Epicurei, & qui nunc sunt hostes uerae doctrinae, etiam si uocantur Christiani. Nec locus aut titulus, sed doctrinae uerae professio discernit Ecclesiam ab ijs, qui sunt extra Ecclesiam: Nunc quoque multi qui uocantur Christiani, tamen propter agros suos fugiunt doctrinae professionem, & fiunt aut palam Epicurei, aut defendunt usitatos errores propter uentrem, ut multi Episcopi, Canonici, & alij.

Alij propter sua negocia fugiunt doctrinae professionem. Hic praecipue <sup>capitulum</sup> ~~taxantur~~ principes & aulici, qui etiam si non exercent seuitiam, tamen negligunt Euangelium & Ecclesias, et putant harum rerum curam se indignam esse, habere se occupationes magnas, necessarias hominum uite, uidelicet, constitutionem & defensionem imperiorum. Hanc occupationem ducunt esse gloriosam, Ecclesias nihil curant. Sic in alia parabola dicitur, semen inter spinas cadere, ubi praecipue spinae aulicae intelligantur. Terti-

um genus est Tyrannorum, qui delere Euange-  
lium conantur.

Erit igitur exiguus coetus Ecclesia, quia su-  
periora tria genera sunt extra Ecclesiam. Ideo  
dicitur Sophoniae 3. Et reliquum faciam in me-  
dio tui populum pauperem & egenum, & spe-  
rabunt in nomine Domini. Hæc consideranda  
sunt, ne cogitemus populum DEI esse maiorem  
multitudinem, et imperia, quæ magis florent glo-  
ria & potentia, & ne abiecto uero DEI, ad il-  
lam multitudinem deficiamus, sicut humana  
ratio mouetur multitudine & fortuna, cogitat  
tam multos, tam florentes, non negligi a DEO.  
Aduersus hæc scandala confirmemus nos de-  
scriptionibus ecclesie, traditis e CHRISTO &  
Prophetis, ut in parabola de semine, & Paulus  
inquit. Corinth. 1. Non multi sapientes secun-  
dum carnem, non multi potentes, non multi no-  
biles etc.

Diligenter autem obserua in descriptione  
apud Sophoniam, quod addit. et sperabunt in  
nomine Domini. Ecclesia alligata est ad doctri-  
nam ueram, non ad certa imperia regum &  
pontificum, & inuocatio discrimen facit. Etsi  
Iudei & Turci dicunt se inuocare unum Deum,

## DOMINICA VIGESIMA

conditorem rerum, tamen negant Deum conditorem rerum esse patrem Ihesu Christi, negant opus esse mediatore, cum tamen Deus reuelauerit se per filium, & non uelit inuocari, nisi fiducia filij, sicut saepe dicitur. Per hunc habemus accessum ad patrem. Item, Nemo nouit patrem nisi filius, & cui filius reuelauerit, Non igitur inuocant Deum Turci. Item fatentur se inuocare, sine uerbo, sine promissionibus, sine mediatore, cum perpetua dubitatione. Sed uera membra Ecclesie inuocant Deum Patrem Domini nostri Ihesu Christi mediatoris, conditorem omnium rerum, & quidem fiducia huius propiciatoris, reuelati in Euangelio, & exhibiti, petunt & expectant salutem. Haec inuocatio discernit Ecclesiam a ceteris gentibus, Ideo diligenter obseruetur dictum, Et sperabunt in nomine Domini. Postremo hic cogitemus etiam hunc cultum, scilicet inuocationem, praecipue praestandum esse, Ideo enim & flagitat, et addit promissiones, quia uult exaudire etc. Si cogitamus nos esse membra Ecclesie, sinus ex coetu inuocantium.

### DE TERTIO.

**T**ESTatur hic Christus poenas impendere omnibus gentibus, atq; hominib. qui sunt  
extra

POST TRINITATIS. 102

extra Ecclesiam Dei, sicut ostendunt exempla ab initio mundi, quæ proposuit Deus, ut nos de ultimo iudicio, & de æternis pœnis admoneat, de quibus concionatur Christus, cum inquit, Ite maledicti in ignem æternum etc.

DE QVARTO,  
de ueste nuptiali.

**S**VPRA dictum est de pœnis omnium, qui sunt extra Ecclesiam. Nunc sequitur tristis contio. etiam in Ecclesia Dei sunt hypocritæ, qui damnati abijcientur in pœnas æternas, sicut hostes Euangelij, ut Saul perinde damnatus est, ut Goliath.

Quæ est igitur uestis nuptialis? Alius aliud nominat, sed necesse est id esse, de quo Paulus inquit, Cupientes super indui, si tamen uestiti, & non nudi reperiemur. Et confessione omnium hæc uestis est lux spiritualis, qua renascimur, de qua dicit. 2. Corin. 3. Nos transformamur omnes relecta facie, gloriam DEI specularantes, a gloria in gloriam, tanquam a Domini spiritu. Quid est autem illa lux spiritualis, quæ discrimen facit inter hypocritas & renatos? Est haud dubie agnitione iræ DEI aduersus peccata expauescere, & rursus fide erigi, & confidere quòd  
Deus



## DOMINICA VIGESIMA

Deus recipiat nos, & hac fiducia eum inuocare, ei subijci, petere, & expectare ab eo gubernationem, & defensionem, non diffidentem DEO querere humana præsidia, nõ neglecto Deo, indulgere propijs cupiditatibus. Hæc omnia complectimur, cum nominamus pœnitentiam & fidem seu regenerationem. Est igitur uestis nuptialis illa ipsa regeneratio, quæ complectitur motus pœnitentiæ, & fidei, quæ accipit remissionem peccatorum, & in omni uita petit & expectat a Deo auxilium, & inchoat nouam obedientiam.

Sunt autem in externa societate Ecclesiæ, multi sine hac ueste nuptiali. primum, qui perseuerant in peccatis contra conscientiam. deinde <sup>simulatores</sup> & hypocritæ, ut Ahas, qui & si uidetur uir honestus, & rectæ professionis, tamen est sine illa luce, id est, sine pœnitentia & sine fide, cumulat cultus, putat se iustum esse, gerit res multas, sed fiducia suæ sapientiæ, ac diffidens DEO, nec petit, nec expectat ab eo auxilium, undecunq; querit præsidia humana, dehortantibus etiam Prophetis. E contra in Dauide, Ezechia, sunt pauores & consolationes. Hi expauescunt a gnitione suæ infirmitatis & rursus fide statuunt se a DEO receptos esse, & hac fiducia inuocant obediunt, petunt

POST TRINITATIS. 103

petunt a DEO, & expectant auxilium. Hæc exempla in historijs Prophetis ideo descripta sunt, ut discamus <sup>similitudine</sup> hypocrisin a ueste nuptiali, id est, regeneratiõe, seu pœnitentia & fide, discerni.

Hac ueste ornatus est Augustinus cum paulo ante mortem de pœnitentia & de fide concionaretur, ac deploraret uitæ actæ securitatem, et rursus seipsum erigeret inuocatione, & fide filij DEI. Econtra Achas erat sine uero timore, & sine uera fide, non agnoscebat se peccare, cum cultus fingeret suo arbitrio, cum indulgeret suo odio aduersus Prophetas, non crederet se recipi, exaudiri propter promissionem diuinam, imo dubitabat, an exaudiretur, ideoq; diffidens quærebatur alia præsidia. Sic sunt sine ueste nuptiali etiam adiuncti ueræ professioni, & sine publica turpitudine uiuentes, si tamen sunt securi, sine pœnitentia, et quadã negligentia ac dubitatione non petunt, nec expectant a DEO quicquam, sed cõfidunt suis consilijs & humanis præsidijs. Item in aduersis nõ agnoscunt se iuste puniri. existimant poenas uel casu accidere, uel iniusto iudicio Dei, sicut Saul fremit aduersus Deum in calamitate. Multo magis carent ueste nuptiali, qui palam  
 m s defendunt

## DOMINICA VIGESIMA

defendunt errores & uitiosos cultus. sed de hoc coetu prius dictum est, qui cum sit extra Ecclesiam, sine ulla dubitatione damnatus est.

Cæterum etiam in sanctis manet imbecillitas, habet alius alio uestem nitidiorem, ut multa sunt etiam sanctorum errata, & peccata ignorantie, quæ tamen condonantur tenentibus fundamentum, id est, ueram inuocationem & fiduciam donatæ misericordie propter filium Dei. Sicut Paulus inquit. Nulla nunc condemnatio his qui in CHRISTO IHESU ambulant.

## DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST TRINITATIS EVANGELIUM IOHANNIS 4.

**E**T erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capernaum, Hic cum audisset quod Iesus adueniret a Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, ut descenderet, & sanaret filium eius, incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia uideritis, non creditis. Dixit ad eum regulus: